

ille recte assignatur *Spiritui*, qui *Dominus* ac *Deus* est, juxta ea quæ supra §. XI. diximus, de operibus ad extra, quæ tribus Divinitatis Personis, Patri, Filio & Spiritui S. sint communia.

XXXVI. Sed nunc, age, videamus, quantopere dictum hoc Apostolicum absit asserenda cognitione Dei intuitiva, fidelibus vitam hanc mortalem viventibus competente. Dicuntur Deum cognoscere in facie Christi, adeoque mediante Christo. Deum mediante Christo cognoscere, nihil aliud est, quam per Evangelium de Christo mediatore Dei atque hominum, per quem Deus, hominibus sit reconciliatus, divinam bonitatem illustri quodam signo expressam aut repræsentatam cognosceret: atque ita per discursum quendam penetrare in notitiam Dei ex revelatione doctrinæ de Christo, quam Christus ipse prædicavit, ac prædicari fecit. Ita *Johannes Cap. I, 18.* dicit: *Deum nemo vidit unquam, Filius unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit; & manifeste opponit, τὸ videre Deum, & τὸ enarrante Filio in cognitionem Dei pervenire.* Itaque qui Deum non vident, sed tantum in facie Christi, aut mediante Christo mediatore cognoscunt, abstractive cognoscunt Deum, non intuitive. Qui per Evangelium de Christo instar speculi imaginem gloriæ divinæ intra se recipiunt, anne ideo divinam essentiam sine specie intueri dicentur? Absit. Sed de his plus satis.

XXXVII. Denique *Locus Epb. I, 17. 18.* Spectandus est, ubi hæc sunt verba Pauli precantis: *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloria det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis per cognitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestrae, ut sciatis, quæ sit spes illa vocationis ipsius & quæ opes gloriae, hereditas ipsius in sanctis.* Si quid hujus ad præsentem quæstionem facere potest, illud esse oportet, quod Paulus inter bona Ephesius, aliisque fidelibus, per preces suas in hac vita impetrabilia, refert talem oculorum mentis, per Spiritum sapientiæ & revelationis divinæ & per cognitionem Dei, illuminationem; qua sciant, quæ sint bona, quæ Deus, fideles vocans, sperare jubet, (ut *spes*, more loquendi alias solito, *μετανοητικῶς* pro *rebus*